FRANC. ERNESTI BRVCKMANNI, D.

EPISTOLA ITINERARIA LXIV.

DE

LAPIDIBVS FIGVRATIS QVIBVSDAM RARIORIBVS, NONDVM DESCRIPTIS ET DELINEATIS,

MVSEI AVTORIS;

AD

VIRVM CELEBERRIMVM ÆQVE AC DOCTISSIMVM, RERVM NATVRALIVM SOLERTISSIMVM SCRVTATOREM ET CONQVISITOREM

INCLVTVM,

FAVTOREM BONARVM ARTIVM MVNIFICENTISSIMVM,

ILLVSTRISSIMVM DOMINVM,

DOM. HANS SLOANE,

BARONETTVM,

COLLEGII REGALIS MEDICORVM LONDINENSIVM ET REGIÆ SOCIETATIS AMPLISSIMVM PRÆSIDEM,

POTENTISS. MAGNÆ. BRITAN. REGIS

GEORGII SECVNDI

ARCHIATRORVM COMITEM,

REGIÆ SCIENTIARVM ACADEMIÆ PARISIENSIS ET BEROLINENSIS, IMPERIALIS PETROPOLITANÆ, REGIÆ HISPANICÆ, ET COLLEGII MEDICORVM EDINBVRGENSIVM SOCIVM,

MÆCENATEM SVMMVM.

CVM FIGVR. ÆNEIS.

WOLFFENB. MDCCXXXVII.

VIRO ILLVSTRISSIMO,

HANS SLOANE,

BARONETTO
NEC NON
ARCHIATRO REGIO CELEBERRIMO,
PRÆSTANTISSIMO
SAL. ET OFF. OBSEQVIORA
DEVOTE OFFERT
BRVCKMANNVS, D.

MUseum *Tuum, Domine Illustrissime*, ex omni terrarum regione singulisque mundi plagis nullis non rerum naturalium rariorum speciminibus selectissimis maximis sumtibus collectis refertissimum, augustum & magnificum, quodque perpluribus rerum curiosarum non ubivis obviarum collectionibus, in Europa alias celebratissimis, nimium quantum antcit, in mentem mibi adduxit *Tecum, Baronette celeberrime*, quædam rariora parvæ nostræ supellectilis lapidum figuratorum, quorum vel plane nulla vel

 admo-

admodum infrequentia fallim exemplaria apud alios in lithophylaciis offendere licuit, specimina communicare. Sunt modo parvi & exigui lapides, *Tuo illustrissimo nomine* certe indigni, nec unquam audacia praeditus tentassem, istos ad *Tuos* demisse devolvere pedes, nisi afirmate persuasissimus fuissem, *Te* peculiari & summa cum gratiositate, non sine deliciis, has lapidum quisquilias accepturum. Hac aequa potestate fretus reculas meas praetenues ad ordinem tabularum quinque reicatum, hec additarum, sine ulterioribus verborum ambagibus, *Te* gratiose permittente, statim inducam.

Tab. I. fig. I. Exhibet lapidem durum cinereum maxime *cancri marini* ostendentem *caudam rugosam incurvatam*, **grossen Krebs-Schwantz**, repertum ad oppidum, **grossen Ehrich** dictum, Schwartzburgico-Sondershusanum, de quo Alb. Ritteri, Gymnasii Ilfeldensis Regii Con-Rectoris meritissimi, historiae naturalis scientissimi, Commentatio II, de Zoolitho Dendroidis pag. 32. sequentia annotavit: „ Ad oppidum **grossen Ehrich** conchitae, „ & dictae incurvatae caudae cancrinae, quas adsimulant, „ cum exactis suis juncturis, has si frangis, adparet cavitas quaedam, cujus latera in medio crassiori filo lapideo „ vulgo **einen Kern** coniiciunt, nihil vero aliud sunt, „ quam nautilorum fragmenta. „ Alias nominata cauda quandam similitudinem habet cum Buttneri fig. I. Tab. XXX. pag. 271. in Ruder. diluvii testibus, quae est pars cornu Ammon. lateralis ad superiora casu versa.

Fig. II. Est *piper nigrum* lapideum, diversae magnitudinis, exh. grana minora & majora, soluta, rugosa, quasi exsiccata, parum inaequalia, horum maxima magnitudinem granorum piperis vegetabilis non excedunt, nigricantia sunt, & piperi nigro indico quam simillima;

minora

minora parum candidiora sunt; leguntur in agris Lipsiens. An sint piper petrifactum? valde dubito, melius & tertius hos calculos figuratos rotundos refero ad oolithum, quia & piper teres est, nec acredine papillas linguæ movet illicitus.

Fig. III. Sistit *piper longum lapideum, Goslariense*, Lochnero in Rarioribus musei Besleriani pag. 104. c. fig. dictum. Non est piper longum petrifactum, sed lapis Judaicus minor, rotundus, gracilis & oblongus, parum in medio ventricosus, in extremitatibus exilior, ex albo-cinereus, parvis papillulis ad lineas longitudinales undique obsitus, cucumerem vel ejusdem petiolum referens, hinc *petrificirter* Gurcken-Stengel a nonnullis, ob solam analogiam, sed haud recte, appellatur. An sit echinites seu spina echini marini vel radiolus echini marini spinosi petrifactus?

Fig. IV. Lapides Judaici minores, rotundi partim, partim & oblongi, pyriformes, albissimi, quasi cretacei, elegantiores, striati & punctati, cum & sine petiolis, Norcköpienses Sueciæ.

Fig. V. Offerunt se *Musculi* bivalves minimi fluviatiles, lapidei seu *Musculitæ* tales leves, quasi politi, partim cum testa subtili brunnea, partim armatura orichalcea splendente seu marcasitacea tenui armati de Wintzenburg, præfectura Hildesiensi, non procul Gandersheimio.

Fig. VI, VII. Cancrolithi seu *gammarolithi* lapidei prostant, qui revera oculi cancrorum vulgo dicti, petrificati & fossiles sunt, lapidibus cancrorum tam similes, ac ovum ovo; substantia duræ lamellatæ, quæ & exterius parum oculo non armato facile consideratur; coloris ad brunneum vergentis, in terræ stratis a succis mineralibus forsan suscepti? ex Silesia.

Tab. II. fig. I. Stalactites brassicam emulsiforentem, Blumen-Kohl, ex aqua stalactica druſe inſtar elegante concretam & induratam, albam & ſemipellucidam, Druſenartig geſintert, accurate exhibens; reperitur hæc concretio lapidea Schœningæ, oppiduli Ducatus Brunſvicenſis, ſub ponte ad arcem præfecturæ ducente. De ſpecu Schœningenſi, in quo ſtalactitæ ejusmodi, qui breſſicæ cauliflore ſummitates ſatis pulchre æmulantur, confer. Commercii litterarii Norici Annum 1731. pag. 195. Helmſtadienſium Machaon celebratiſſimus, D. Laurent. Heiſterus, ſequentia in literis, die 26. Maji 1732. ad me miſſis, de hoc ſtalactite & antro communicavit: Die Schöningſche Höle, wovon Sie neulich geſchrieben, habe ſelbſten geſehen, aber nur von Weiten, weil mich wegen übeln Wetters damahls nicht hinein wagen kunte. Sie iſt im Wall bey dem Schloß, ſiehet aus als ein altes Thor, und ſagte man mir, daß vor dem ein Thor oder Gang daſelbſt durch gegangen, aber nun nicht mehr gebräuchlich wäre; man brachte mir aber ſogleich etliche Stücke von dieſem Tropffſtein, als Blumen-Kohl, welche ein Kerl, der hinein kroche, heraus hohlte.

Fig. II. Laudatur Carpolithus ſeu fructus petrifactus cordiformis craſſus cum adhærente petiolo parum incurvato, cinereus, uti videtur, olim bicapſularis vel bivalvis fuit; in arenæ fodinis montis Horenberg non procul Ecopoli ad ſylvam viridam & amœnam, Lechelnholz dictam, ſiti, 1728. a me repertus. An forſitan Anacardii cordiformis vegetabilis fructus petrifactus?

Fig. III. Siſtit lapidem album rotundum, cum foramine rotundo polito per lapidis medium tranſeunte, verticilli inſtar, lævem, tactu ſmegma exhibentem, ex

daß

tuſſ amplitud parum, apicem detrimentum verſus, graciliorem exſtentem, inter parva cornua Ammonis montis Randi iuxt Scaphuſiam Helvetiæ repertum. Calculus hic ex luſu naturæ non videtur concretus; interim, quale ſit petrifactum, non conſtat; certum autem, quod non ſit cornu Ammon nec Belemnites truncatus, nec tubulus marinus, nec Entalium, nec Echinites, nec trochites.

Fig. IV. & V. Sunt ſilicuH figurati, in Sileſia reperti, Jecken-Steine vel ſteinerne Zähne vocati, non autem ſunt dentes hominum & animalium petrifacti, ſed ex ſolo luſu naturæ, ut mihi videntur, formati lapides. An forſan Corallii marini ſpecies? Major fig. IV. exhibitus ex albo ad brunnum vergit colorem, minor autem totus albus eſt. A ſimilitudine, quam cum dentibus lacteis, Milch-Zähnen, quos in Sileſia die Jecken appellare ſolent, communem habent, dicti.

Fig. VI. Exhibet marmoris Aichſtadienſis tabulam, cujus ſignum ſub nomine papilionis alas flavi, dendritis aureo circumdati, ad nos miſſum; hunc autem papilionis figura accurate penſitata non papilionem, ſed piſciculi minuti caudam elegantem petrifactum, circumcirca ex luſu naturali a ſuccis Vitriolico-Martialibus rimas lapidis inſenſibiles ſubtiliores pervagatis, fruticetis luteis incluſum ſiſtit.

Fig. VII. VIII. Primo aſpectu videntur eſſe inſectorum rugatorum, vermiculorum vel erucarum ſpecies, quarum figuræ videndæ in Mar. Sibill. Merianæ opuſculo de erucarum ortu, alimento & paradoxa metamorphoſi; in Joh. Swammerdamm Hiſt. inſectur. generali, item Joh. Goedart Metamorph. naturell. ou hiſtoire des Inſectes; ſed oculis exacte ſpectatæ, revera nihil aliud ſunt, quam cornuum Amm. levium ærugoſorum partium ectypa elevata vel impreſſa, rotunda, oblonga, convexa vel concava, in lapide marmoreo fiſ-

ſili

sit & tabulato ciaveo & flavescente, modicum ad brunum inclinante, Eichstadiensi.

Fig. IX. Sistit calculum, *Tribulum marinum* dictum, magnitudine cerasi. Tribulus terrestris & aquaticus, nemini non notus exstit, quid autem marinus sit, nullibi discendere licuit. Hic figura exhibitus ex Silesia cum aliis rebus naturalibus ante sex annos ad nos transmissus, albus est & levis, substantiæ lapideæ rotundæ, multis tuberculis obsitæ & inequalis seu ex meris protuberantiis parvis, sphæroideis quasi, constantis, topho simils candida, vel, minimum multum ad istum accedens, hinc pro topho ferme putaremus; convenit quoque cum uvarum racemis parvo candido rotundo. An sit corpusculum petrifactum, non satis liquet; an sit ex Coralliorum aliorum familia, an fungus coralloides? neque non constat. Cur sit tribulus, quo cum parum tamen convenit, nominatus, dicere non possumus. Obscurum quoque, an sit corpus fossile ex terræ visceribus erutum, an ex Oceani fundo explicatum?

Tab. III. fig. I. Est *ostracites* elegantissimus ex utroque latere pictus, testa bivalvi dura, aurea & perlacea quasi, egregia splendente, tectus, in Principatu Blanckenburgensi ad fauces sylvæ Hercyniæ 1757 repertus. Specimen certe, quod ad testæ pulchritudinem, quo inclusum, nulli secundum Huic similis addidit Ostracites & Conchites rugosus *fig. II. III.* seu massa ex his composita, testa æque aurea & splendente eleganti tecta, in eod. Principatu simul cum ante laudato ostracite in lucem protractus; testa in his omnibus parum candicans est, sensim sub terra obtegitur.

Fig. IV. Musculites bivalvis oblongus & ventricosus, flavescens, in utroque latere per transversum suavissime striatus, ex eodem Principatu obvius.

Fig. V. Est *conchula* marina parva petrifacta, *armata Veneris* dicta, cinerea, dura, Silesiaca, rarissima, rhombum parvum exhibens, dubio procul bivalvis, dorso in medio elevato punctato vel minutissimis papillulis notato, lateribus seu valvis inclinantibus lineis, parum curvis, striatis obsitis. Cur armata sit vocata, non video, nullos enim aculeos habet, nec comprehendo, cur ab amoris dea, Venere, nomen acceperit; cum notissima testa, Venerea aliis appellata, parvam, uno nullam convenientiam monstrat. D beat. Volckmannus in Siles. subterran. nullam hujus conchulæ mentionem fecit. Acc autem parum ad fig. 50 Tab. XI. beat. Hermanni, viri immortali etiam post pia fata nominis gloria florentis, Maslographiæ nondum editæ, cujus figuras tantum possideo, scripto editionis secundæ auctori adhuc in bibliotheca rebus humanis erepti latente.

Fig. VI. VII. Lagenulæ Marlenses Silesiæ, a loco natali, in quo inventæ, & similitudine quadam cum lagunculis ampullaceis conveniente, dictæ. Sunt parvi lapides figurati læves & ampullacei, membris & capitibus, ut videtur, parvorum insectorum vel scarabæorum ad instar, ornati, in matrice lapidis duri cinerei. An vero sint insecta petrifacta, an vero conchularum species in lapideam sub terra transformatæ substantiam? cum inter alia corpora fossilia, quæ olim marina fuerunt, pectinitas, coralia, trochitas, &c. repertæ sint, non satis accurate determinare valeo. Conveniunt cum fig. 44. Tab. XIII. item fig. 31. Tab XV. Maslographiæ Hermannianæ edendæ, cujus vero cum tantum icones habemus, dicere non possum, ad quodnam lapidum genus beate defunctus auctor has lagenulas referre in animo habuerit.

Fig. VIII. Peculiarem *Terræ* lapideæ, a foramine pervidente *perforatæ* dictæ, speciem sistit. Hæc terra crocum Martialem colore refert luteo, nec non Martialis esse videtur naturæ, constituit tubulos rotundos longiores, per quos foraminulum transit, ochra flava brunnaque tinctos, de Wintzenburg, castello ruinis obruto, unico tantum milliari Gandersheimio an forsan pyrites Martialis tubulosus, ein röhriger Eisen-Kies?

Tab. IV. Fig. I. Est lapis figuratus, certe singularis, nigerrimus, ex utraque latere æri incisus, in territorio civitatis Osnabrug. inventus. An sit concha quatuor valvarum vel ex quatuor testis, duabus superioribus majoribus, duabus inferioribus, brevioribus & minoribus, constans, longitudinaliter striata? vel fructus exoticus Indicus nuciformis capsula quadripartita munitus? vel an sit scarabæi vel alius insecti genus mihi nondum visum, hincque incognitum? cum vero minime prædicare possum.

Fig. II. Est globulus siliceus parumque arenosus & durus, flavescens ac cinereus, exacte sphæricus, per medium divisus, cujus bina hæmisphæria, in planitiebus suis rotundis patentibus, parvulis turbinitis & conchulis lævibus, parum rugosis, brunnis, intus referta. Horum globulorum numerus sat copiosus Helmstadi in sic dicto monte Cornelii invenitur, item & in Valle D. Mariæ, monasterio secularisato, semimilliari Helmstedo distante, hac tamen cum differentia, quod isti Marienthalenses ne minimum corporis petrefacti vestigium exhibeant, quod tantum in Cornelianis obvium. Conf. Thesaurus subter. Ducat. Brunsuicens. Relat. VIII pag. 51. In vestra Britannia, teste Guy Miege im Staat von Groß-Britan.

Britan. pag. 14. globi ex terræ ftratis exhauriuntur, *Tibi, Domine Illuftrissime*, indubitate non agnoti? in quibus lapides ferpentes, fed fine capitibus, obfervantur. Forfan, me fentiente, cornua Ammonis ferpentiformia erunt?

Fig. III. Siftit *nucem juglandem* dimidiam majorem petrifactam ex Silefiæ provincia, nuci juglandi cum cortice & putaminibus brunnis & rugofis tectæ, nucleoque incluso ac ftructura in- & externa tam fimile, quam ovum ovo. Dolendum faltum, incuria artificis negligentis figuram in ære non fatis accurate ad archetypum excifam & demonftratam!

Fig. IV. Eft lapis duriffimus, intus cavus, reniformem *phafeolum laevem*, a natura politum, brunneum, ex omni parte & exactiffime referens, qui patriam Silefiam agnofcit. Recentiores lithophyli hos phafeolos ad dentes pifcium ac animalium quorundam marinorum molares petrifactos, non fine fundamento, recte referunt. Figuras iftorum & delinearunt beat. Hermannus Tab. XVII. fig. 5. Maslographiæ noviter edendæ, & Volckmannus Silef. fubter. P. I. Tab. IV. num. 9 pag. 65. qui pifolithum majorem variegatum filo albo notatum, ex albo & rubro variegatum, pifo hortenfi majori variegato fimilem, Maslenium, vocat. Sed phafeolus non eft, omnium minime pifum.

Fig. V. Eft lapis figuratus, rariffimus, forfan quoque unicus fui generis, qualem nullibi in ollo unquam hactenus mufeo lapideo obfervare licuit, flavefcens, in uno latere lævis, a natura politus, rugofus & papillulis ad latera undique obfitus, in altero vero inæqualis magis

& bidentus, incertæ patriæ. Plane me latet, an fit infectum marinum petrifactum? an non rectius palatum vel dens molaris piscis majoris marini, apud neminem quantum constat, delineati? Jure hereditatis in nostrum transiit lithophylaceum.

Fig. VI. Sistit *turbines pyrifeles* seu turbinites elegantiores minerum gentium & familiarum, quæque sex septem spiris, arcte inter se conjunctis, constantes, testa semicalcinata alba & punctata superbientes, ex monte Petrino Goslariensium.

Fig. VII. Rarioribus petrifactis merito annumeratur *Pinna marina*, Germ. Steck-Muschel, valvis æqualibus æquilatera petrifacta fossilis, striata & imbricata, testa semicalcinata candida passumque perlacea splendente & argentea tecta, substantiæ intus terreæ semilapideæ cinereæ, ex Agro Bononiensi Italiæ.

Fig. VIII. & IX. Cochleæ & Turbines elegantissimi sunt, partim testa alba semicalcinata punctata adhuc investiti, partim extra testam soluti, leves & a natura politi, partim cinerei & lactei, pellucidi, substantiæ Achatinæ, ex monte divi lucæ Bononiensi Ital. 1737. effossi.

Fig. X. & XI. Sunt *Dentalia & Entalia* petrifacta fossilia Bononiensia, cinerea & lactea, substantiæ Achatinæ, præstantiora, partim vitri seu crystalli instar montanæ pellucida, partim Dentalia inclusa sunt Entaliis, ut quasi Entalia sint Dentaliorum tubuli & vaginæ. Entalia sunt longitudinaliter striata, candida & semicalcinata.

Celeb.

Celeb. Carol. Nic. Langius, Helvetiæ literatorum decus summum, & naturæ ſcrutator curioſus, in Hiſtor. lapid. figurator. Helvetiæ Tab. I. pag. 160. hoc lapidis figurati genus vocat *Tubulites Dentalem &c.*

Tab. V. Fig. I. II & III. Trutenſtein vulgo vocantur, quorum ille ſub Num. I.) ex agro Tubingenſi, II.) Ratisbonenſis & III.) Niendorpienſis; eſt autem Niendorp pagus 1. milliar. Wolfenbuttela diſtans, ad radices montis Eyſelii ſitus. Revera hi lapides ſunt *Oſtreæ foſſiles* ſui generis rarioris teſtæ ſpecies, quæ *imbricata* dicitur major, aculeata, cinerea, aculeis majoribus. Tabula hac quinta jam ab artifice ad perfectionem ducta, ecce ſcribimus tales parum differentes oſtreas imbricatas nigras foſſiles & petrifactas ex Glaronenſi territorio Helvetiæ accepimus, quas alio tempore *Tecum*, *Vir Præſtantiſſime*, communicare non recuſabimus. Cum ſagis & veneficis, quas in Saxonia inferiori Truten vulgo vocant, nil commune habent, ſit, ut ad curas ſuperſtitioſas & alia incantamenta magica, de quibus tamen mihi plane nil conſtat, adhiberent?

Fig. IV. Concham certe rariſſimam, forſan unicam, petrifactam laudat, nempe *Porcellanam* ſeu *Veneream* cum rima circumcirca dentata, longitudinali, ex albo cinerеam & gibboſam ſeu variis Cameli tuberculis condecoratam, in officina quadam pharmaceutica inter lapides Judaicos repertam, conſequenter patriæ ignotæ.

Fig. V. Eſt concha elegantiſſima candida, levis, teſta ſubtili naturali & marina, perlacea juxta ac pulita adhuc tecta, in matrice lapidis terrei lutulenti; cum aliis

 con-

conchis & cornibus Ammon. testis petriceis iridis coelestis colores referentibus circumdatis, in Valle Salinarum, Saltzdahlum, cum rusticus quidam in sua villa Anno 1 29 puteum foderet, eruta. Inter alia & cornu Am, magnitudine rotam currus maximi vulgaris exhibens, effossum, quod, cum rudes & mentis inopes rustici, ob splendorem, aurum esse potaverint, in varia frusta, quod certe dolendum, diffisire instrumentis ferreis coegerunt, ac, aurum non esse vel inesse animadvertentes, limo & luto hinc inde sepeliverunt. Minora frustula rotundiora incurvata, a similitudine spirarum seu placentarum tortilium, Krengel-Steine, appellitarunt.

Fig. VI. Hos parvos lapides leves & quasi politos, ex utroque latere planos, sub titulo *calculorum [illegible]*, Augsteine, ex Silesia accepimus; sunt albicantes, rotundi, ac signatura telas aranearum exhibent. An forsan cornua Ammonis minuta a natura polita? an Coralli albi marini lapidei, sed fossilis, species?

Fig VII. Est minera Martis & chalybis ditissima nigra & admodum rara, schwartzer Eisen-Stein oder Glaß-Kopff, cum elevatis fruticetis minera ipsa plus adhuc nigricantibus in superficie convexa lapidis egregie spectandis, Schmalcaldensis. Metallici istius oppidi vocant Glaß-Kopff mit Blumen, & hi flores ex mero naturae lusu in fodinis ferreis, drusarum ad instar, originem habent.


Fig. VIII. Ultima est *Arundinaris*, Rohr-Stein, ex lapidicinis Alberstadensibus non procul Querfurto. Tabula lapidis quadrata (cujus partem tantum in aere exhibe-

habemus) & lævigata in superiori planitie sylvam quandam arundineam, in piscina vel aquis natam, miro naturæ lusu egregie refert. Archetypum, figura hic a chalcographo addita, melius est. Refero hoc lapidis figurati genus ad lusum quendam naturalem, cum materia ex qua saxi adhuc fluida istud arundinetum ita efformaverit. Si autem petrifactis marinis annumerandum, forsan Coralli albi species sit? differt ab arundine petrifacta in lapide fissili nigro obvia, nec non ab arundine topho incrustata.

Vela contraho, nihilque præter votum ardentissimum subjungo, servet *Te*, Ἀνδρῶν πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, Numen Opt. Max diu & constanter incolumem, superstitem, familiæ generosissimæ & splendidissimæ, ac orbi literato, cujus ingens decus es, cui Numini pro *Tua* salute nullo non tempore vota nuncupo devota. Vale iterumque, *Vir Generosissime*.

O! & Præsidium & dulce Decus meum, & perge *Tibi* addictissimum & deditissimum amare. Scrib. e Museo Wolffenbutt. d. 11. Dec. 1737.





Fig I.
II
III
IV
V
VI
VII





Tr. LXIV. Tab. II.
VII
VIII
VI
IX
IV
V
III
II
Fig. I.

Ad Ep. Fr. LXIV. Tab. III.






Phil. Trans. LXIV. Tab. IV.
VII
IX
VIII
XI
X
V
VI
III
IV
II
Fig. I


Ad Eph. It. LXIV. Tab. V.
Fig. I
II
III.
IV.
V.
VI.
VII.
VIII.